



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

17. Nuper pro parte &c. Facultas celebrandi Capitula Provincialia in
Germania Fratribus Congregationis S. Augustini Provinciæ Germaniæ
concessi à Sanctissimo D. N. Innocentio Divina Providentia Papa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Mandat
observan-
tiam cum
clausula
sublatâ, &
Decreto
irritanti.

præfertur Nostro, seu Romani Pontificis pro tempore existentis mandato, obtinere ullatenus possint, & valeant, omnesque & quascunque facultates quoquo modo concessas, quæ præsentibus adversarentur, penitus, & omnino ut præfertur, revocamus, & annullamus, istoque casu, & ad hunc effectum, ut iudiciis ad transmittendam inquisitionem sufficientibus ex processu resultantibus, Iudices, ad quos spectat, servatis solitis terminis ad condemnationem delinquentium huiusmodi expedite procedere teneantur, omnino volumus, & decernimus.

§. 12. Mandantes huiusmodi Nostram Constitutionem, ac omnia, & singula in ea contenta, per quoscunque etiam speciali notâ dignos inviolabiliter observari sub omnibus censuris, & pœnis quæ in superius relatis Prædecessorum Nostrorum Literis imponuntur, & continentur; sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices rām Ordinarios, quàm delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, quidquid fecus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariis.

§. 13. Non obstantibus præmissis, & aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, quibuscunque consuetudinibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ dicti Prædecessores in præfatis eorum Literis voluerunt non obstat, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Se- de indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuscunque aliis privilegiis, facultatibus, indultis, & Literis Apostolicis, etiam motu proprio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibuscunque clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, & aliis quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam Nos concessis, innovatis, & approbatis. Quibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita observatâ, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenâ, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Tempus à
quo incipit
obligare
Constitu-
tio.

§. 14. Volumus autem, quòd lapsis viginti diebus, postquam præfentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Nostris Curforibus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos tam in Urbe, quàm in Statu præfatis existentes perinde obligent, & arceant, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent; Quòdque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ fuissent, adhiberetur.

Fides
transump-
torum.

Sanctio
pœnalis.

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, decreti, prohibitionis, derogationis, revocationis, cassationis, irritationis, annulationis, mandati, concessionis, & extensionis infringere, seu ei ausu temerario

contraire. Si quis autem hoc attentare præsum- pserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beato- rum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se sci- verit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcente- simo nonagesimo secundo septimo Idus Maji, Pon- tificatus Nostri Anno Primo.

Loco + plumbi

B. Card. Prodaturus

J. F. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus

Registrata in Secretaria Brevium.

Facultas celebrandi Capitula Provincialia in Ger- mania Fratribus Congregationis Disalceatorum S. Augustini Provinciæ Germanicæ concessa à Sanctissimo D. N. Innocentio Divinâ Providen- tiâ Papa XII.

XVII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **N**uper pro parte Dilecti Filii Procura- toris Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Eremitarum, Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardina- lium, negociis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositum fuit, quòd Capitulum Generale dictæ Congregationis Italiæ novissimè sub præfidentia Venerabilis Fratris No- stri Palatii Episcopi Præfessini ejusdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, Ordinis prædicti apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris cele- bratum ad favorem Provinciæ Germanicæ ejusdem Congregationis Italiæ Decretum edidit tenoris qui sequitur videlicet. Die 7. Maji S. Ill. 7. post vesperas lectus fuit supplex libellus Provinciæ Germanicæ, in quo repetit preces in aliis Capitulis Generalibus porrectas, quòd ei soli concedatur celebratio Capi- tuli Provincialis, ob particulares rationes adductas, atque etiam ob instantiam Augustissimi Imperatoris, & annuente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Palutio de Alteriis S. R. E. Camerario Protectore Nostro & præfentis Capituli Generalis Apostolico Præsidente, maturè consideratis con- siderandis decernimus, & statuimus, quòd omnino concedatur, sicut de facto concedimus, ita ut possit incipere Capitulum Provinciale in se- cundo anno præfentis triennii juxta methodum statutam in Capitulo Generali de anno 1628. & in præfenti approbatam, & confirmatam cum non- nullis additionibus, prout in exemplari subscripto ab Eminentissimo prædicto Protectore, & Præside, nec non ab omnibus, & singulis P. P. Definitori- bus Generalis; insuper impartuntur facultatem Pa- tri Calisto à S. Innocentio Procuratori Generali ex præteritis impetrandi confirmationem præfentis De- creti à Sacra Congregatione Statuti Episcoporum, & Regularium præpositæ, & quatenus opus ef- set, etiam robur Apostolicum à Sanctissimo Do- mino Nostro Innocentio PP. XII. omnibus per vo- ta secreta concurrentibus &c. Cardinalis de Alte- riis Protector, & Præsides.

§. 2. Et proinde pro parte dicti Procuratoris Generalis prædictæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut Decretum huiusmodi confirmaret; Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium

Decretum
Capituli
Generalis
Congrega-
tionis Ita-
licæ ad fa-
vorem
Provinciæ
Germanicæ
ema-
natum.

Et à S. R. E.
Congrega-
tione con-
firmatum.

Decre-

Decretum tenoris sequentis videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attentis narratis petitam confirmationem, servatâ tamen in omnibus unitate, & subjectione, prout antea Oratori benignè concessit. Romæ 23. Maji 1692. H. Card. Casanata, Locus + sigilli.

Confirmatio præfatorum Decretorum Apostolica

§. 3. Cum autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis subindè exponi fecit, ipsa præmissa, quo firmitus subsistat, & serventur exactius, Apostolica Confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hæc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter potestis inclinati, præsertim novissimi Capituli Generalis Decretum à memoratâ Cardinalium Congregatione, ut præmittitur, confirmatum, nec non desuper emanatum Decretum à Congregatione Cardinalium, Decretum itidem præsertim auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, & validas & efficaces existere, & fore, suasque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab his respectivè inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignorantar contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinibus Congregationis Italianæ, & Provinciae prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hæc vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Junii 1692. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 30. Junii 1692. P. A. primo.

J. F. Card. Albanus.

Loco + Annuli Piscatoris.

Methodus de qua in Brevis fit mentio, &c. Celebrandi Capitula Provincialia in Provinciâ Germaniæ.

Capituli tempus, locus & personæ.

I. Capitulum Provinciale Dominicâ tertiâ post Paschæ anno immediatè præcedente celebrationem Capituli Generalis in Conventu à Definitorio in Capitulo Provinciali assignando celebretur, ad quod præter Gremiales, & Fratres Capituli Provinciali necessarios, alii non accedant sine expressâ Provincialis licentiâ, quam solummodò concedat iis,

quos ob aliquod negotium interesse necessarium fuerit.

II. Ad Capitulum Provinciale convenient sine alia citatione suffragatur Provinciales, tam recenter electi quàm Officio functi Priores, & Vicarii Conventuum, cum singulis Discretis canonicè electis, Provinciales absoluti, & qui quondam in Officiis Generalibus fuerunt, & Secretarius Provincialis, qui juxta Conventuum dignitatem, & antiquitatem sedebunt.

Personæ speciatim indicatæ.

III. Sabbato antè prædictam Dominicam absentibus amplius non expectatis, Missâ de Spiritu Sancto solemniter à Provinciali celebratâ, vel eo absente à primo Definitorio Provinciali, quo tempore per totam Provinciam fundantur preces pro felici exitu Capituli Provincialis, & hæc die in unoquoque Conventu Provinciae cantetur Missâ de Spiritu Sancto, quod idem fiat feriâ quintâ pro bonâ electione Provincialis. Et interim seu prius à reliquis Patribus Missâ dictâ ad signum Campanulæ tendant omnes ad locum Capituli ubi Hymno dicto: Veni Creator Spiritus: cum oratione prout in Ceremoniali Provincialis præfinito ab omnibus juramento de digniore eligendo. Si Vicarius Generalis Nostræ Congregationis præfens fuerit, tunc temporis ille à principio usque ad finem Capituli Officium Præsidentis exercere poterit, si verò non præfens fuerit, tunc mittet Definitorium Provinciale nomina trium Patrum, qui sint ex ipsâ Provinciâ Germaniæ, Nostro Reverendissimo Patri Vicario Generali, ex quibus unum deputabit, & eliget in Præsidentem Capituli Provincialis.

Præparatoria per Missam de Sp. S. quomodo & à quo faciendâ.

IV. Deputatus Præsidentis toto Capituli tempore primum locum semper obtinebit, cum aliis duobus ei proximè sedentibus suffragia scrutabitur, & si Præsidentis in aliquod Officium fuerit electus, à Provinciali præterito, vel noviter electo confirmabitur. Nolumus tamen, quòd in Capitulo, in quo fuerit Præsidentis, ullo modo in Provinciale possit eligi, juxta Decretum à Clemente Octavo editum.

Præsidentis locus & officium circa suffragia.

V. Postea Præsidentis electionem duorum Assistentium, seu Judicum causarum proponet universis Capitularibus: possint autem eligi omnes vocem habentes in Capitulo Provinciali, dummodò non sint Discreti. Electi autem Assistentes, & Confirmati per totum hunc diem unus post Provinciale à dextris, & alter à sinistris Præsidentis immediatè sedebit.

Electio & locus assistentium.

VI. Quibus peractis præsentibus etiam non Gremialibus, referant Discreti per ordinem nomina Fratrum defunctorum in suis Conventibus in illo triennio, & simul qualitates eorum, quod idem fiet de Secularibus Benefactoribus, tam vivis, quam defunctis, quorum beneficia singularia referentur. Post relationes Discretorum Provincialis commemorationem faciet eorum, quos illi prætermiserint, & Præsidentis pro omnibus orationem indicet. Tunc autem brevitate causâ Psalmum De profundis cum precibus, & orationibus, *Deus venie largitor* &c. dicant, & in fine Capituli Præsidentis de consensu Definitorum determinabit suffragia, quæ pro Benefactoribus faciendâ erunt. Statimque non Gremiales exhibunt, Litteræque testimoniales de electione Discretorum producentur, & examinabuntur, & Præsidentis Provincialis simul cum absentibus statim sententiam ferant electos esse, vel non esse canonicè, quorum sententiæ simpliciter latæ absque appellatione obediant.

De relatione faciendâ per Discretos de Fratribus defunctis & Benefactoribus Secularibus, & de Discretorum electione.

VII. Post hanc sententiam Præsidentis præcepto formali præcipiat omnibus Gremialibus, ut antequam post vespèras, eò die congregentur, denunciet unusquisque sibi, an sciat aliquod impedimentum Canonicum, propter quod aliquis ex Gremialibus vocem habere nequeat. Nolumus autem, quòd Præsidentis possit Capitulares privare voce propter delicta contra ipsos ab eo, vel aliis Superioribus etiam

De impedimento vocis.

in visitationibus reperta, nec per quasunque querelas, vel processus, etiam completos à quibuscunque contra ipsos missos ad Capitulum, nisi habeant aliquod impedimentum Canonicum, quo vocis incapaces reddantur. Quando verò aliquis ex Gremialibus per sententiam alicujus Superioris ob aliquod delictum jam reperitur suspensus, tunc Præsidentis Provincialis, & Assistentes procedere possunt simpliciter, & de plano ad privationem vocis, si tamen pro delicto tali in Nostri Constitutionibus posita privationis Officii imposita fuerit.

VIII. Nullus ad Capitulum Provinciale, vel ad Præsidentem ejusdem ducatur casus, qui per Definitorium, vel Provinciale possunt expediri, secus verò faciens non audiat, sed pro temeritate puniatur.

IX. Hora vespertina congregentur Præsidentis Provincialis, & Assistentes, & si aliqua denuntiatio facta fuerit, & de plano causam examinent, & sententiam ferant, cui omnes parere teneantur sub privatione vocis activæ, & passivæ per duos annos; In ferenda autem sententiâ, quando vota erunt æqualia, pro reo standum erit: si verò nulla denuntiatio facta fuerit, declarent omnes legitime vocem habere, & convocatis omnibus Gremialibus, & manifestato Decreto, indicant Congregationem Dominicâ sequenti post vespas ad eligendos Definitores Provinciales, & Secretarium Capituli Provinciales, qui etiam erit Secretarius Provincialis, & ceteros loco post Subprios præcedet.

X. Die Dominicâ horâ præfatâ dicto Hymno *Veni Creator Spiritus*, & ab omnibus Capitularibus congregatis in loco Capituli surgens Præsidentis absolvat ad cautelam à censuris Provinciales, & reliquos Capitulares: postea omnes surgant, & sedeant, & Præsidentis dicto *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, & responso *Deus* (quod in initio cujuscunque Capituli fiet) cæteris stantibus ipse solus Præsidentis sedeat. Provincialis genibus flexis breviter, & generaliter culpam dicat, Officio renunciet, sigillum tradens fargat, & ad dextram Præsidentis sedeat, & postquam Provincialis se Officio abdicaverit, Definitores Provinciales, & Priores culpâ de more dictâ Officio se abdicent, sigillum reddant, & pro antiquitate, & dignitate Conventuum, suo quoque loco, & ordine sedeant, qui usque dum Capitulo finis imponitur, Vocales habeantur in illis tantum casibus qui ad Capitulum Provinciale spectant, & Constitutiones Nostre sanciant: gubernatio tamen Conventus usque ad finem Capituli Provincialis semper relinquatur.

XI. Postea Præsidentis electionem quatuor Definitorum Provincialium faciendam proponat, quæ fiet ordine servato incipiendo à primo, & electis Definitoribus Provincialibus congregentur simul cum Præsidente, Provinciale absoluto, & Priore locali ad Secretarium Capituli Provincialis faciendum. Quod si Prior localis electus fuit in Præsidentem, vel Definitorem, tunc ejus loco omnes Vocales eligant unum ex Gremialibus ad complendum numerum septem Patrum, qui tamen exeat à Definitorio, quotiescunque aliquis fuerit electus in Provinciale, qui non sit de numero Definitorii, ad complendum tamen numerum accedet, quando aliquis de gremio Definitorii tertiâ vice non factâ electione Canonica, est unus necessario eligendus è duobus, & si illi duo fuerint ex Definitorio præter supradictum Patrem ultimo loco electum, accedent Definitores præteriti, seu Priores antiquiores, id est Conventuum digniorum, hoc ordine servato, ut primis Definitoribus succedant secundi. Quod si Provincialis fuerit electus in Definitorem, vel ipsemet Præsidentis, vel alius pariter absens, tunc omnes Gremiales Capituli Provincialis eligant alios Patres ex præsentibus, & vocem habentibus in eodem

Capitulo ad supplendum numerum septem Patrum, ita ut numerus septenarius semper integer sit, & impar remaneat.

XII. Præsidentis statim designet duos ex Definitoribus recentem electis, quibus tradantur Litteræ, Capitulo seu Definitorio perlegendur, & Definitorium rescribet, quid respondere oporteat, ejusque nomine Definitores prædicti Litteras conficiant à Præsidente & Secretario subscribendas. Præcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, quod Litteras sine nomine, vel nomine ficto, vulgò dictas orbas, neque publice, neque privatim inter se, nec singuli singulariter legant, sed statim ac apertæ, ac sine nomine repertæ fuerint, vel seindantur, vel comburantur, cum tales Litteræ ex malignitate contra proximi famam semper proveniant.

XIII. Diebus sequentibus solum Definitorium Provinciale congregabitur, in quo hi solum conveniant; Præsidentis in primo loco; Provincialis absolutus à dextris ejus, & à sinistris primus Definitor, & alii tres semper unus à dextris, & alter à sinistris, juxta eorum electiones fedebunt, ultimum autem locum semper habebit Prior localis, vel Pater ejus loco electus, & suo loco quoque sedebit Secretarius, & ordinem hic in nominandis positum ipsi in dicenda sententiâ servabunt.

XIV. Congregabuntur autem bis singulis diebus, & primò Discreti juxta antiquitatem, & dignitatem Conventuum, quorum sunt Discreti, tradant Definitorio Litteras Capituli sui Conventus ab omnibus subscriptas, & sigillatas, in quibus significant Definitorio quæ ipsis occurrerint proponenda.

XV. Perleget Secretarius, præsentem Discreto, ut rationem & declarationem reddat scriptorum, si interrogatus fuerit, Egresso Discreto inter se conferant Patres Definitorii, quanam ex scriptis consideratione sint digniora, & quæ Præsidentis, & alii ex Patribus, vel tres ex Patribus, non incluso Præsidente consideratione digna judicaverint, à Secretario norentur in codice ad hoc deputato, ut auditis omnibus discutiantur in Definitorio, & decendantur.

XVI. Post Discretos Priores, & Vicarii Conventuum servatâ eadem ratione antiquitatis per ordinem accedant ad Definitorium, & scripto proponant, quæ ipsis occurrerint; quod scriptum leget Secretarius præsentem Priore, ut reddat rationem, & declarationem contentorum, & egresso eo statim conferant Patres Definitorii inter se, sicut de Discretis Conventuum dictum est.

XVII. Post Priores accedant reliqui Patres Gremiales idem facturi, & postea perlegantur summaria Litterarum per duos Definitores confecta.

XVIII. Ex iis omnibus, & quæ unusquisque cogitavit, facile cognoscant statum Provincie, & quibus indigeat, & in sequentibus Sessionibus, & Congregationibus incipiente Præsidente, & post ipsum reliqui Patres proponant, discutiant, & determinabunt, tam quæ à præteritis proposita fuerint, quam quæ unusquisque proponenda censuerit.

XIX. In proponendo autem, & discutendo brevitate, claritate, & modestiam omnes observabunt, nullus cum altero contendet, neque extrâ locum sibi dicendi proprium loquetur, absque expressâ Præsidentis veniâ. Postquam omnes rationes sibi occurrentes dixerint, propositio formetur categoricè, ita ut affirmando, vel negando possit decidi.

De Litteris tradendis Definitoribus recentem electis.

Ordo sedendi in Definitorio Provinciali.

Quod singulis diebus bis congregandum.

De discussione Litterarum, à Discreto traditarum.

Accessus Priorum & Vicariorum Conventuum.

Reliquorum Patrum Gremialium.

Extindendi Provincie status cognoscendus & discutendus.

Quomodo in proponendo & discutendo se gerendum.

De non ducendis certis casibus ad Capitulum vel Præsidentem. De agendis post denunciationem factam & non factam.

De abdicatione Officii faciendâ à Provinciali, Definitoribus & Prioribus.

De observandis circa electionem Definitorum & Secretarii Capituli.

XX. Formata propositio, scripta per Secretarium, lecta à Patribus, decidatur per fabas albas, vel nigras, & Secretarius scribet, quot suffragia fuerint affirmativa, vel negativa, & si res fuerit gravis, & tres ex Patribus majorem rei relevantiam consideraverint, in sequentem sessionem decisio differatur.

XXI. Si quinque Patres ex septem Definitorii per suffragia secreta de propositis à Discretis Conventuum, aut ab aliquo ex Definitoribus excogitatis, decreverint aliquid Capitulo Generali pro tota Congregatione proponendum esse, in fine Capituli Provincialis super propositionibus factis, communes Litterae componantur ab eisdem septem Patribus, & Secretario subscribendae, & sigillo Provinciae muniuntur, & Discretus Provinciae Capitulo Generali deferre, & contentorum in illis rationem reddere teneatur, prout à Patribus Definitorii fuerit informatus.

XXII. Ad hoc verò Definitorium Capituli Provincialis spectat aliqua Statuta, sive ordinationes pro bono regimine Provinciae propriae condere. Ordinamus autem, quod eas facere non possint, nisi quinque ex septem Patribus concurrant, neque praestentur, nisi prius Capitulo Provinciali propositae per majorem suffragiorum numerum, & à Vicario Generale Nostrae Congregationis fuerint approbatae, & nisi in singulis subiequentibus Capitulis denuò examinatae eodem modo, tam à Definitorio, quam à Capitulo confirmantur, eo ipso expiunt. Volumus autem, quod tantum de Capitulo in Capitulum vim obligandi habeant. Ordinationes verò, quae fuerint confirmatae, in proprio libro authenticè inscribantur.

XXIII. Statuta sive Ordinationes Provinciae scribantur in libro ad hoc deputato cum subscriptione Praesidentis Capituli Provincialis, Patrum Definitorii, & Secretarii.

XXIV. Erunt duo alii libri, in quorum uno scribantur omnia acta Capituli, & in altero propositiones, quae ad Capitulum Generale per Discretum Provinciae mittuntur, quae eodem modo subscribentur.

XXV. Quibus omnibus expeditis ad electionem praemoneat Praesidens, quare feria quinta congregatis omnibus Capitularibus post Missam de Spiritu Sancto celebratam de bona electione faciendam sermonem habeat, statimque omnes genuflexi per quartam horae partem orabunt, ut Deus eos dirigat, signoque surgendi dato à Praesidente, sedeant, & ad electionem procedant, ut supra dictum est. In Provinciale regulariter eligatur semper aliquis Pater illius Provinciae, pro qua est electio facienda. Postea Praesidens Provincialis absolutus, & primus Definitor scrutabuntur suffragia.

XXVI. Electione facta confirmet Praesidens electum Provinciale, ut Officium suum exercere possit, absque tamen praesidio confirmationis faciendae à Vicario Generale Nostrae Congregationis, qui de electione Canonica, & de electo certior factus, electum Provinciale confirmare teneatur, prout de jure. Incipiatque Te Deum Laudamus, & processionaliter ducant in chorum, vel Ecclesiam simul occurrentes reliqui Fratres, qui Provincialis se deat, & incipiente Provinciale absoluto, reliqui manum ejus osculabuntur. At si aliquis Definitorum electus sit in Provinciale, antequam à Capitulo egrediantur, elegant novum Definitorem loco electi, qui erit ultimus inter Definitores.

XXVII. Eadem feria quinta post vespas, & si absens sit Provincialis, nullo enim modo expectandus est, sed ipso absente, vel praesente, Praesidens primum locum semper habeat, ad electionem Priorum, & Vicariorum procedatur, quos Definitorium solum faciet. Ad electiones verò rite faciendas quilibet Prior, & Discretus praestito juramento de veritate dicenda, & non tacenda, referat Definitorio sigillatim Sacerdotes sui Conventus aetate, & qualitatibus ornatos, qui in Priores eligi possunt.

XXVIII. Omnium qui propositi sunt schedulam quilibet Definitor faciet, & conservet, ut ea bene perpensa ad electionem prudenter procedant. Prius Conventuum ordinem juxta dignitatem eorum, Definitorium constituet, ut prius digniores provideantur, sed Conventus Novitiatus semper omnibus anteponatur.

XXIX. Procedendo ergo ad electiones Priorum Vicariorum, Subpriorum, postea animadvertendo summopere in electione Superiorum Conventus Novitiatus, & Professorum, cum sint futuri Magistri Novitiorum, & recenter professorum, nisi aliter Definitorio Provinciali videbitur, quam ob rem majora sunt requirenda in iis, quam in quolibet Priore, ac in alio quocunque Subpriore. Electis Prioribus, Vicariis, & Subprioribus, eligentur Lectores, deinde studentium Magistri, qui & ex electis Lectoribus, vel ex aliis Patribus assumi poterunt.

XXX. His factis familias component, ita ut in quolibet Conventu sint Sacerdotes sufficientes, Confessarii necessarii, tam pro Fratribus, quam pro Secularibus, & unus, vel plures Concionatores. Sint & duo Patres, qui in Examinatores possint eligi ad examinandum Novitios, promovendos ad Sacros Ordines, & munera Confessarii, & Concionatoris. Sint & Fratres Clerici, nec non Conversi, & Tertiarii, juxta exigentiam locorum.

XXXI. Die Sabbati iterum congregetur Capitulum Provinciale, & ab omnibus Patribus eligentur duo Discreti, cum eorum substitutis ad Capitulum Generale ituri, qui habeant qualitates, & requisita, quae praescribuntur in Bulla Alexandri Papae septimi, quae incipit *Militantis Ecclesiae* prout hactenus factum, & observatum est.

XXXII. Dominica post vespas iterum totum conveniet Capitulum, & Praesidens omnia exequatur, quae de Praesidente Capituli Generalis in Nostris Constitutionibus sancita sunt. Eodemque modo, qui ibi de Capitulo Generali praescribitur, Capitulum Provinciale terminabitur, omnes in osculo Sanctae Pacis amplectendo & lecto Decreto Sacrae Romanae & Universalis Inquisitionis, factaque fidei confessione, ac data absolutione generali prout de more, omnes discedent in nomine Domini.

De Definitorio Provinciali, & ejus Auctoritate.

I. Ut Prior Provincialis Provinciam facilius, & prudentius gubernare possit, quatuor Definitores in Capitulo Provinciali electos, in adiutorium illi adjungimus, eorumque Officium per triennium durabit usque ad novam Definitorum electionem. Ipsorum erit invigilare super observationem Constitutionum, ordinationem, & consuetudinum Provinciae, reliquorumque ad perfectionem spectantium, & si in aliquo observationem labefactari viderint, Provinciale statim moneant verbo, vel scripto.

II. Litteras dare vel recipere poterunt absque Prioris licentia, vel scitu, & propriis utentur sigillis cum Cruce, tribus clavis, & spinea corona & characteribus, primi, secundi, & tertii, & quarti Definitoris Provincialis, quae possint, una cum Litteris, & scripturis secreto dignis conservari in oratoriis clave munitis, eo modo, quo aliis Superioribus conceditur.

III. In omnibus locis post Priorem localem, ceteros loco praecedent, enitentur autem magis virtute, & exemplo praecedere, in quo si defecerint, Prior illos admoneat charitative, & si se non emendaverint, Provinciale certiore reddat. Declaramus quod locus competens Definitoribus Provincialibus sit respectivè juxta praxim Definitorum Generalium.

IV. Semel anno congregabuntur cum Provinciali in Conventu principaliore, & antiquiore Provinciae, vel in Conventu assignato à Definitorio Dominica tertia post Pascha.

V. Ad Definitorium Provinciale spectat Magistrum

1692.
ad Defini-
torii Pro-
vinciale.

Novitiorum Professorum constituere, Conventum Novitiorum designare, si extra Conventus Novitiatu aliquando Novitios educare oportet, Conventum assignabit ubi educandi sint: Renuntiationem alicujus officii, in quod aliquis à Capitulo Provinciali eligitur, admittere, aut in idem officium vacans aliquem substituere, qui si fuerit Definitor, ultimum locum inter alios habebit. Priorem aliquem ab uno aliorum alicui alteri Conventui præficere, vel de novo eligere in his Conventibus, qui de novo accipiuntur. Ante triennium expletum Capitulum Provinciale ob causam urgentem, cum consensu tamen Definitorii Generalis convocare. Poterit quoque idem Definitorium aliquem ex quatuor Definitoribus Provincialibus causâ exposcite ab officio deponere, & à Prioratu, etiam Priorem, & Secretarium deponere: poenâ ultimâ gravio-rem aliquem punire: bona mobilia, vel immobilia, non tamen notabilis pretii, utpotè excedentia summam ducentorum scutorum, ab uno in alium Conventum transferre.

De convo-
cando De-
finitorio
ultra tem-
pus assi-
gnatum.

VI. Si ultra tempus assignatum ob causas urgentes Provincialis convocationem Definitorii necessarium esse duxerit, illud congregare poterit, & si primus Definitor, & alii duo convocari postula- verint, Provincialis id facere teneatur: quod si fa- cere noluerint, Vicarium Generalem reddant cer- tiorem, & quicquid ille determinaverit, exequantur sub poenâ arbitrio ipsius Vicarii Generalis infligenda.

De abfen-
tia Defini-
toris.

VII. Nullus Definitor nisi legitime impeditus, & de licentiâ Provincialis, & reliquorum Definitorum, quam ipsi petenti dare possunt, sub poenâ depositionis absit, quando Definitorium congregatur; ne- que hæc venia dari potest plus quam uni, & tunc loco absentis aliquem reliqui Patres Definitores, jam congregati eligunt, qui ultimum locum habebit.

In Defini-
torio pro-
ponenda.

VIII. Proponet in Definitorio Provincialis quæ tractanda occurrunt, si verò aliqua ipsa prætermiserit, quilibet ex Patribus Definitorii, sentiente alio debere proponi petitiâ veniâ proponat, ut decidatur; graviora verò dubia ab una Sessione, in aliam propo- nantur.

Executio
decisionum
in Defini-
torio.

IX. Quidquid in Definitorio decisum fuerit, Provincialis exequatur juxta mentem Definitorii, quoad tempus, modum, & alias circumstantias, quod nisi præstiterit, admoneatur ab aliquo Defini- torium reverenter, & si admonitus non paruerit, Vicarium Generalem certiorem faciant, qui pro cul- pæ modo illum puniat.

Definito-
rii duratio

X. Definitorium ultra octo dies non durabit nisi alicujus gravissimi casus decisio protraherem moram postulaverit; congregabuntur autem bis per singulos dies, ut quanto citius negocia expe- dire possint.

Juramen-
tum secreti

XI. Strictissimo secreti sigillo omnia negocia Definitorii fideantur, & in primâ sessione de ser- vando secreto omnes juramentum præstent, quod tunc obligabit, cum major pars Definitorii statu- erit in illo eventu juramentum debere observari, quod qui violaverit, per biennium voce, & offi- cio careat, & qui alia quæ sub secreto juramenti non cadunt propalaverit, gravi poenâ pro primâ vice puniatur.

De quali-
bet Pro-
vincialia-
tus vaca-
tione intra
triennium

XII. Si Provincialis morte præventus triennium percurrere nequeat, primus Definitor Vicarium Ge- neralem statim certiorem reddat ob mortem Provincialis, & interim alios tres Definidores con- gregabit in Conventu, ubi tunc temporis primus De- finitor reperietur, vel in loco commodiore ad hoc ab ipso primo Definitor deputato, & simul cum Priore illius Conventus, ubi Definitorium congre- gabitur: Qui eligunt alios duos Patres, quibus elec- tis omnes septem simul congregati de novo Pro- vinciale duraturo usque ad Capitulum Provinciale electionem facient, quæ omnia quamprimum fieri

poterit exequantur. Si autem Provincialis non è vitâ decesserit, sed ab infidelibus, aut inimicis captus fue- rit, ita ut Provinciam suam gubernare nequeat, idem primus Definitor, cum aliis Definitoribus con- gregabitur, collegialiter congregati, Vicarium Pro- vincialem præficient, qui totam Provincialis au- thoritatem habebit, si vero intra annum tertium post Definitorii Congregationem ultimam obierit, tunc primus Definitor, vel eo deficiente secundus usque ad finem ejusdem triennii præsidebit. Quæ au- tem hic pro casu Provincialis sancita sunt, volumus observari etiam in casu, quo Provincialis ad aliquod Officium Generale translatus, seu promotus fuerit, vel etiam in quocumque casu alio vacationis Provin- cialatus.

XIII. Quotiescumque oportuerint Definitorium Provinciale congregare, ad illud conveniat ad nu- merum septem Patrum complendum, etiam is, qui Officium aliquod generale exercuit, eoque absente, etiam is, qui functus est Officio Provincialis, dum- modo tamen inveniantur ab omnibus aliis Officiis actualiter absoluti, quod si plures fuerint, qui præ- dicta Officia Generalia, aut Provincialia exercue- rint, attendenda semper est inter ipsos major exer- citi Officii dignitas, inter æquales autem in exer- cita dignitate prioritas electionis ad talia Officia, seu dignitates attendatur.

XIV. Definidores in illo Monasterio ubi sunt Con- ventuales signum dabunt, & præsidebunt in actibus Communitatis omnibus, qui loco inferiores sunt Subpriore. Item iisdem in communi tabulâ Offi- cia non assignentur.

XV. Si quando sentiente Provinciale, & tribus Definitoribus, Definitorium tenere necesse videbitur, & unus Definitor interesse noluerit, elapsis octo diebus à tempore per tres Definidores præfixo, ad Definitorium celebrandum tempestivè per Litteras vocatus, si non accedit, eligatur à Provinciale & reliquis Definitoribus substitutus, ad Definito- rium illud celebrandum, & celebretur Definito- rium.

XVI. Si Definidores animadverterint Provincia- lem officio suo non satisfacere, vel quod pejus est abuti, neque bonis consiliis acquiescere, Vi- carium Generalem re bene ponderatâ, & exami- natâ moneant præsertim in iis eventibus, in quibus poenâ depositionis seu suspensionis Provinciali decreta est.

XVII. Prohibemus cæterum, & interdici- mus reelectionis ad eadem Officia juxta præ- scriptum Nostrarum Constitutionum part. 3. cap. 1. §. 7. & 8. quas vim omnem habere vo- lumus tum in Capitulis, tum in Definitoriis Provincialibus, ita ut Provincialis transacto triennio nullo modo possit reeligere & confir- mari. Permittimus tamen quod Definidores, & Priores confirmari possint, prout eadem Con- stitutiones faciunt, & non aliter, servatâ ta- men Constitutione Urbani VIII. quæ incipit, *Circumspecta*, quoad vacantiam Prioris Provin- cialis, non tamen quoad Definidores Provin- ciales.

XVIII. Ut autem in omnibus electionibus consulatur ut par est majori Provincie utili- tati, ac de dignioribus, magisque idoneis semper provideatur, volumus, & ordinamus, quod generaliter loquendo nullus eligatur ad aliquod Officium nisi aptus, & assuetus sit vi- tæ communi, & qui regulari observantia non incumbunt, omnino rejicimus, omnium su- per hoc conscientias onerantes; insuper statui- mus & declaramus primò, quod nullus eligatur in Definitorum Provinciale, nisi per tres annos aut Prior, aut Lector, aut Prædicator, aut Magister, sive Professorum aut Novitiorum exti-

Quinam
debeant ad
Definito-
rium con-
venire.

Definito-
rium Con-
ventualis
locus.

De defe-
ctu unius
Definito-
ris, ad De-
finitorium
accedere
nolentis.

De Provin-
ciale Offi-
cii sui par-
tes non
explente.

Reelectio
prohibita.

Generalia
& specialia
eligendo-
rum re-
quisita.

teriti;

terit; secundo, nullus Priorum, & Superiorum potest esse Definitor; tertio debent esse absoluti à studiis Philosophiæ & Theologiæ cum attestazione suorum respectivè Lectorum, exceptis iis, qui fuerunt in Officiis Generalibus.

Facta collatione cum originali asservato in Archivio Romano Jesu Mariæ, concordat de verbo ad verbum, in quorum fidem &c.

Datum in eodem Conventu die 8. Maji Anno 1692.

Frater SIMPLICIANUS à S. Dorothea
Vicarius Generalis.

Loco † Sigilli.

E. LAURENTIUS à S. Francisco
Sec. Cap. Gen.

XVIII. Gratia & Privilegia Conclavistis postremi Conclavis concessa.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Urbis.

Donatio
scutorum
decemmil-
lium auri.

§. 1. **M**Otu proprio &c. Nos volentes Dilectos Filios Conclavistas, qui Conclavi, in quo Nos Divinâ favente clementiâ ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus Nostriis S. R. E. Cardinalibus, uti Familiares continui Commensales inservientes interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum hujusmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cuiusque meritis exornare ipsosque Conclavistas, quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in rolo, seu divisione subscripto, seu subscripta per Dilectum etiam Filium Nostrium Bandinum Tituli S. Thomæ in Parione nuncupat. Presbyterum Card. Panciatium nuncupatum Prodatarium Nost. summam decem millium scutorum auri in auro stamparum ex pretio tot officiorum vacabilium ad Nos spectantium gratiose donavimus, in veros, indubitatos, & non fictos Familiares, & continuos Commensales Nostros, ac eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ Clericali adscribi desiderant, quosque tres præfatæ S. R. E. Cardinales singulim in quolibet Ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios, sine tamen præjudicio Dilectorum Filiorum de numero participantium Notariorum recipimus, & tam illos, quam alios Conclavistas singulos, qui singulim ab iisdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, & Milites, & tam illos quam omnes etiam quoscunque alios Conclavistas indistinctè, qui Nobiles non sunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali Dominio eidem S. R. E. mediâtè, vel immediâtè subiectis Cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & sine ullâ proflus differentia inter eos, & singulos alios veros originarios, & antiquissimos etiam Nobiles, & participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, ita ut ipsum Jus Civilitatis ad quoscunque illorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis

Receptio
in familia-
res.

In Nota-
rios.

Electio
Civitatis.

Etiâ pro
hæredibus

titulo, honore, & insigniis decoramus, aliorumque familiarium, & continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio Nostro Apostolico inservientium, ac in illius Tinello comedentium, & bibentium, ac Nostrorum, & Sedis præfatæ Notariorum Palatii, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, & indubitatis, non fictis familiaribus, continuis Commensalibus, ac Notariis Nostriis, Comitibus, Nobilibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, & reputari mandamus, eisque ut in quibuscunque impetrationibus, concessionibus, & Litteris, tam gratiam, quam justiciam separatim, seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos Commensales, Nostrosque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominare possint, nec propterea impetrationes, concessionibus, & Litteræ hujusmodi subreptionis vitio subiaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, & quibuscunque, ac prorsus similibus antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac Juribus, quibus alii Nostri familiares tempore dictæ assumptionis Nostre ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum, & Rocchettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ præfatorum Comites, Milites, Nobiles etiam originarii, ac antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam ut præfertur elegerint, quique ex utroque Parente verè Nobili, & Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, Statuto, consuetudine, vel aliâ ex aliquo speciali privilegio, seu aliâ quomodolibet etiam, quoad allocationem quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam per quascunque Litteras, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia, etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde, ac si de verè nobili genere, & ex utroque parente Nobili originario, ac antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessionibus, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure, Statuto, consuetudine, fundatione, vel aliâ competere, auctoritate, & tenore similibus indulgemus.

Exemptio
ab habita-
tione in
Civitate.

§. 2. Ac Conclavistas præfatos à solutione, & exactione quarumcunque decimarum, non tamen decimarum per fel. record. Innocentium PP. XI. Prædecessorem Nostrium impositarum quarto Kal. Octobris Pontificatus sui anno septimo, & per eundem extensarum, seu indictarum ad aliud triennium per Litteras in forma Brevis sub die vigesima quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificatus sui anno tertio decimo, nec non aliarum decimarum, subsidiorum, & onerum in subsidium expeditionis contra Turcas, & orthodoxæ fidei hostes impositarum, & impositorum, & cuiuscunque pedaggi, subsidii, gabelle, & cuiuscunque oneris ordinarii, & extraordinarii ubique locorum, & ex quacunque, quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, &

Agabellis,
& decimis
aliisque
oneribus,
exceptis
Decimis
ab Inno-
centio XI.
impositis
in subsidium
expeditionis
contra
Turcas.